

elektus Pontifex Anno 402. in cit. *Epist. ad Decemium cap. ult.* interrogatus ab eodem, an soli Sacerdotes possent ministrare Extremam Unctionem, vel etiam Episcopi? respondendo, quod absque dubio Episcopi, tum Sacerdotes possunt eam ministrare, ostendit, tunc controversiam fuisse de Episcopis, & de Sacerdotibus simplicibus, non autem de Laicis, qui propterea nunquam in Ecclesia admissi sunt ministrare hoc Sacramentum. Em. Card. de Lauræa d. *disp. 11. num. 96.* S. Gregorius Magnus, *Papa I.* qui floruit ante Annum 600. in suo libro Sacramentorum agens de consecratione Oleorum Sanctorum, nomine Presbyterorum intelligit Sacerdotes, tum in functione consecrationis, tum in eorundem usu in unguendis infirmis, dicens: *Tunc offeritur Pontifici Oleum, & benedicit eum tam ipse, quam omnes Presbyteri, ad unguendum infirmum &c.* & postea: *Multi enim Sacerdotes infirmos perungunt in quinque sensibus corporis.* Concilium Aquilgranenſe Anno 836. *can. 5.* nominat ministros hujus Sacramenti Sacerdotes, idem facit Concilium Vortmansiense Anno 868. *can. 72.* & omnia subsequencia Concilia, tam generalia, quam provincialia, quæ de hoc Sacramento locuta sunt. Angelicus Doctor, qui obiit Anno 1274. & Joan. Duns Scotus, qui cessavit vivere hæc mortali vita Anno 1308. Sacerdotio insignitos esse ministros Extremæ Unctionis docuerunt: adeo ut nunquam in Ecclesia receptum fuerit, ut Laici etsi fenes eam administrarent. *Quinta* responsio, & resolutio est, quod si nomine *Presbyterorum* S. Jacobus intellexerit Seniores Laicos, non potuissent Episcopi juvenes ætate Extremam Unctionem ministrare, inter quos Sanctus Timotheus, ad quem ait Apostolus: *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* *Timoth. 4. 12.* Et S. Prodoximus creatus Episcopus Patavinus à S. Petro in ætate annorum 21. quod manifestum esse absurdum asserere. Igitur per *Presbyteros Ecclesie* S. Jacobus intellexit Sacerdotes, qui interpretantur Seniores, non ætate, aut canitie, sed sapientia, prudentia, ac morum gravitate, ut ait S. Anacletus Papa *Epist. 2.* (de qua in *cap. ult. dist. 84.*) Presbyter enim dicitur, quasi aliis Sacra præbens. *can. Cleros. dist. 21.* vel quasi aliis præbens iter. Alberic. in *Dictionar. Verb. Presbyter.* & sic aliis prævidendo doctrina, & exemplo

14 Secundum argumentum non obstat sumptum ab exemplo Baptismi. Respondet Eminent. Card. de Lauræa d. *disp. 11. num. 95.* quod si Deus voluisset deputare Laicos pro ministranda Extrema Unctione, deficiunt Sacerdotibus, potuisset, prout deputavit Laicos pro dando Baptismo. At noluit de illa, quamvis de isto voluerit, quia Baptismus est absolutæ necessitatis pro infantibus, quibus nullum aliud remedium pro salute æterna restat. Pro infirmis autem adultis præter alia Sacramenta habentur actus contritionis, orationes, & alia remedia, quibus etiam in sanitate delentur venialia; & his iidem ægotantesuti possunt, casu quo deficeret Sacerdos, qui eis Sacramentum Extremæ Unctionis daret.

15 Tertium non officit, quia ut latè probatum est supra *Decif. III.* Unctiones illæ, quas tunc faciebant Apostoli, erant tantum curativæ, non autem Sacramentales; nondum enim hoc Sacramentum erat institutum, & ungebant infirmi ab Apostolis ad solam sanitatem corporis obtinendam. Emin. Card. de Lauræa d. *disp. 11. n. 92.*

Quartum non obstat: quia Verba illa Innocentii Papæ I. intelligenda sunt passivè, non activè, prout ipse Sanctus Pontifex ea intellexit, significans, quod Sacramentum Extremæ Unctionis recipi potest non solum à Sacerdotibus, sed etiam ab omnibus Christi fidelibus etiam Laicis infirmis. Est autem

manifestus sensus eorundem Verborum, quia Sanctus Pontifex non fuit interrogatus, utrum Laici, & omnes Christiani possent conferre hoc Sacramentum; sed an soli Sacerdotes inferiores, vel etiam Episcopi? Et respondet, superfluum esse dubitare de Episcopis, quia cum ipsi consecrerint ipsum oleum, multò magis possunt eo ungere infirmos, & idcirco à B. Jacobo dictum est, quod inducantur Presbyteri; quia *Episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes laquidos ire non possunt.* Iste igitur est germanus sensus Verborum Innocentii I. ad Decentium Episcopum Eugubinum, quem notavit Gandavensis in *cap. 6. Marci*; nec non Eminentiss. Card. Baronius ad Annum Christi 63. *num. 14.* & fufius refertur, ac amplectitur ab Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. *disp. 11. de Sacram. Extrem. Unct. n. 96.* & à Mastrio in *4. Sent. disp. 6. n. 128.*

Quintum non obstat de exemplo S. Genovefæ, cujus Unctiones, quas oleo benedicto faciebat; erant curativæ infirmitatum, non sacramentales. Imò observare licet, quod Surius, qui ejus vitam ex vetustis manuscriptis codicibus descripsit *tom. 1. die 3. Januarii*, unius tantum Unctionis curativæ meminit his verbis: *Demoniacus quidam, impetranda sanitatis causa, ad Sanctam Genovefam à parentibus cum multo gemitu, & lacrymis perductus est. Tum illa ampullam sibi adferri iussit, in qua Sacratum oleum aservare solebat. Accidit autem ut nihil ejus olei id temporis ampulla haberet, nec Episcopus aderat, qui oleum sacret. Illa igitur hesitante quidnam ageret ad precandum Dominum huius profertur; dumque proluxa Orationis Officium diu terge affixa fideliter impleret, ampullam inter manus suas oleo plenam conspicit: atque ita sub uno hore momento, & de obsequio hominis emundatione, & de olei collatione, remanebant Christo, gratiam gemina virtutis emeruit. Hucusque Surius, ex cuius verbis clarè patet, Unctionem illam non potuisse esse Sacramentalem; quia inunctus non erat ægotus, sed demoniacus. At dicit aliquis, oleum erit Sacratum ab Episcopo quo illum inungere volebat? Respondet, erat Sacratum, id est benedictum simplici benedictione, de qua numero sequenti; siquidem subiungit Surius, *nec Episcopus aderat, qui oleum sacretur:* certum est autem, quod consecratio oleorum pro Sacramento Confirmationis, & Extremæ Unctionis passim non fit, nec qualibet die ad beneplacitum, & instantiam privatorum, fieri unquam potuit; sed in sola feria Quinta Cœnæ Domini ex traditione Apostolica, & ex antiquissima consuetudine Ecclesiæ, de qua testatur S. Fabianus Papa in *Can. Litteris. de Consecr. dist. 3.* ob mysteria, quæ retulimus supra *Decif. V. num. 11.* Igitur exemplum S. Genovefæ nihil movet, etsi decantaretur etiam temporibus S. Bonaventuræ; quia versatur circa unctionem non ægoti; sed dæmoniaci, & sic illa unctio erit tantum curativa, non autem Sacramentum.*

Sextum eadem responsione tollitur de aliis Sanctis Laicis, qui ungebant, & sanabant infirmos oleo Sancto; videlicet non per Sacramentalem actionem, sed per corporalem curationem, ut bene demonstrat Emin. Card. Baron. d. *Anno 63. n. 13.* ubi exempla à SS. Patribus desumpta asserit. Quò verò ad oleum Sanctum, quod auctores eorum vitas scribentes asserunt fuisse adhibitum, intelligendi sunt de sanctificatione quam oleum ipsum acquirerebat per simplicem Episcopi, vel Sacerdotis benedictionem, de qua pariter testatur idem Emin. Card. Baronius *ibid. num. 14.* & Magrius in Hierolexic. *Verbo Oleum Sanctum* in fine, ubi ait: *Aliquando tamen pro oleo sacro abusus oleum de lachno, quod in honorem alicujus Sancti, ardet, intelligitur.* & ad exemplum S. Macarii Alexandrini. Quapropter advertendum est, majores nostros, ac Christi fideles in antea his feculis viventes, incomparabiliter nobis devotiores fuisse, quippè ferè omnia

scilicet, & poculenta forebant per benedictionem Sacerdotum sanctificare, nec non alia omnia remedia, quibus ad sanationem vulnèrum, vel ad mendum corporibus utebantur. Hinc in vetustissimo Rituali Veneto, apud me existente, innumera propemodum leguntur hujuscemodi benedictiones, inter quas *lardi, casei, butyri, lactis, mellis, oleorum, leguminum, pomorum, ficuum; & similibus comestibilium, & cæteris omniſis extat etiam benedictio olei pro infirmitatum, seu vulnèrum curatione, cujus hæc est formalis Oratio.*

Adjutorium nostrum in Nomine Domini &c. Exorcizo te creatura Olei per Deum Patrem & Omnipotentem, qui fecit cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt. Omnis virtus adversarii, omnis exercitus diaboli, & omnis incurſus: omnis fantasma Satanae eradicare, & fugare ab hac creatura Olei, ut fiat omnibus, qui eo usuri sunt, salus mentis, & corporis. In nomine Dei Patris & Omnipotentis, & Jesu Christi Filii ejus Domini nostri, & Spiritus Sancti Paracliti. Et in Charitate ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

Domine exaudi &c. Dominus vobiscum &c. Cre-mus.

Domine Deus Omnipotens, cui adsistat exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale cognoscitur, respicere dignare, benedicere & sanctificare hæc creaturam Olei, quam ex olivaru succo eduxisti, & ex eo infirmos inungi mandasti, quatenus sanitate percepta Tibi Deo vivo, & vero gratias agerent; præsta quæsumus, ut hi, qui hoc oleo, quod in tuo nomine benedicimus & usi fuerint, ab omni languore, omnique infirmitate, atque cunctis infidiis inimici liberentur; & cunctæ adversitates separentur à plasmate tuo, quod pretioso Sanguine Filii tui redemisti, ut nunquam lædatur à morsu serpentis antiqui. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum; qui tecum vivit, & regnat in unitate, &c. *Aspergatur Aqua benedicta.*

Hæc erit oratio, & forma benedicendi oleum, quod antiqui vocabant sanctificatum, & sacratum, & quo utebantur, potissimum sancti homines, etsi Laici in unguendis ægotis unctio non Sacramentali, sed curativa; nec est credendum, quod adhiberent Oleum Sanctum solemniter ab Episcopo consecratum feria V. Cœnæ Domini, quod pro Sacramento Baptismi, Confirmationis, & Extremæ Unctionis Ecclesiis Parochialibus distribuebatur, ut notat idem Emin. Cardin. de Lauræa d. *disp. 11. num. 97.* ubi ubi dicit hæc verba: *Licet (olim) Sanctitati alicujus fuerit permittum tale oleum adhibere in hujusmodi curationibus; cerè nullo modo est permittendum, & hoc nostro tempore nedum contra utentes, sed contra Custodes, seu Sacristas illud erogantes procederet Sanctum Officium, tanquam abutentes Sacramentalibus, quæ non ad curationes, sed ad Sacramenta sunt ordinata.*

Ultimum argumentum non indiget resolutione, sed veneratione; cum Unctio illa cœlestis facta manu gloriosissimæ Virginis MARIE Matris Dei processerit ab ejus summa auctoritate; quam ut Theſauraria Divinæ beneficentiæ dignata fuit exercere in famulum suum Reginaldum. Ejuſdem miraculoſæ Unctionis feriem narrat P. Stephanus Menochius in *Histor. Miscellan. Sacra part. 1. cap. 314.* & fufius Fr. Dominicus Maria Marchesius in *Diario Sacro Dominicano tom. 2. die 10. Martii*, in Vita ejusdem B. Reginaldi, per eum ex vartis Auctoribus collecta. Ex utriusque narratione constat, prædictam Unctionem, quam fecit prorsus manu illa, quæ ipsius Divini Verbi Incarnati manus, & pedes falcis meruit fringere, fuisse curativam, non Sacramentalem. Id clarè constat tum ex materia supernaturali, quam ægotum unguendo adhibuit, de cælo allatam; tum ex

De Sacramentis in genere.

forma verborum, qua Virgo, & Mater summi, ac æterni Pontificis JESU ula est; videlicet ad unctio-nem renum; *Stringunt renes tui cingulo castitatis, & ad illam pedum: Ungo pedes tuos in preparationem Evangelii pacis:* denotando his formulis (nam de aliis memoria non habetur) futuram serviti Reginaldi sanctitatem, & in prædicando Evangelio fervorem; non autem effectus Sacramenti Extremæ Unctionis. Obiit Beatus Servus Dei, ac Desparæ Reginaldus Anno 1220. die 10. Martii; & gratia miraculorum ante, & post mortem fuit à Deo illustratus, potissimum in sanandis languoribus eorum, qui ad ejus intercessionem piè recurrerant, eundè composita fuit sequens precationis formula ad eam obtinendam.

O Beate Reginalde Summo Regi gratus valde, Quem amans Regina Calorum, Proprium visitans thorum, Ab omni febris languore Miro curavit dulcore, Habitum dani Prædicatorum. Expelle febres peccatorum, Tuis precum incrementis Sana febres nostræ mentis, Ut eum cætu supernorum Cernamus Regem seculorum. Amen.

DECISIO LXX. ARGUMENTUM.

Discutitur famosa Quæstio, An Extrema Unctio licitè, & validè dari possit uni, & eidem infirmo à pluribus Sacerdotibus simul, & eodem tempore? Referuntur septem argumenta pro affirmativa opinione, desumpta præcipuè ex libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ, & aliorum antiquorum Ritualium, nec non ex usu Ecclesiæ Græcæ. Ostenditur, licitam non esse prædictam administrationem in Ecclesia Latina, nisi in duobus Casibus necessitatis. Et quò ad validitatem Sacramenti distinguuntur quatuor Casus, ac probatur prædictum librum Sancti Gregorii, & alios Codices antiquos vel fuisse alteratos, vel esse intelligendos de simplici Unctione curativa, quæ olim erat in usu; non autem de Sacramento Extremæ Unctionis.

SUMMARIUM.

- 1 Presbyteri plures ex D. Jacobo an vocandi ad dandam Extremam Unctionem? & n. 14.
- 2 Libri Sacramentorum D. Gregorii magni ordo circa Unctionem Extremam.
- 3 Riculphi Episcopi Suesſionensis Constitutiones.
- 4 Codex Tilianus, & Monasterii S. Remigii circa pluralitatem Ministrorum Extremæ Unctionis.
- 5 Carolus Magnus Imperator an receperit Extremam Unctionem à pluribus Episcopis?
- 6 Ludovicus Langravimus Turingie infirmus à quibus oleo Sancto inunctus?
- 7 Græci dant Extremam Unctionem per manus Septem Sacerdotum.
- 8 Enchologium Liber Ritualis Græcorum.
- 9 Septenarii numeri Sacerdotum Ministrantium Extremam Unctionem mysterium.
- 10 Ministri plures concelebrantes, & consecrantes simul eandem Hostiam.
- 11 Ministri plures in Extrema Unctione illiciti.
- 12 Necessitatis in casu plures Sacerdotes unguunt oleo Sancto eundem infirmum.
- 13 Eucharistia, & ordinis Sacramenta quando admittant plures Ministros?

- 14 Plures Sacerdotes simul illiciti dant Extremam Unctionem.
  - 15 D. Jacobi Verba Inducant Presbyteros, declarata.
  - 16 Numerus pluralis in Sacra Scriptura pro singulari Exempla.
  - 17 Responsio ad auctoritates, & exempla pluralitatis Ministrorum.
  - 18 Plures Sacerdotes vocati ad orandum, non ad unguendum Infirmum.
  - 19 Viaticum dabatur infirmo post datam Extremam Unctionem.
  - 20 S. Guibelmus, & S. Malachias Extrema Unctione ungi.
  - 21 Fratres Episcopi nominantur Canonici.
  - 22 Validum an sit Sacramentum datum a pluribus Sacerdotibus simul?
  - 23 Forma Extreme Unctionis si ab alio, quam ab ungente dicatur, Sacramentum est invalidum.
  - 24 Baptismus est nullus datus a duobus, uno abluerente, alio formam dicente.
  - 25 Differentia inter Sacramentum Penitentiae, & Extreme Unctionis.
  - 26 Matrimonii Materia, & Forma quenam sit?
  - 27 Antiqui ut an ungente infirmum, alius proferret formam?
  - 28 Transumptis Libri Sacramentorum S. Gregorii non est in omnibus credendum.
  - 29 Unctio infirmi, de qua in libro Sacramentorum S. Gregorii non erat Sacramentalis, sed tantum curativa ex devotione.
  - 30 Forma Sacramentorum debet innuere effectus eorumdem.
  - 31 Oleum Sacrum antiquitus dabatur pro sola medicina corporali.
  - 32 Olea Sacra sunt materia tum Sacramenti, tum aliorum Sacramentalium.
  - 33 Plures Sacerdotes simul an valide ungent eundem sensum?
  - 34 Graeca Ecclesia debet discere à Latina, non de contra.
  - 35 Graecorum Ritus ab Innocentio IV. & Clem. VIII. approbati.
  - 36 Materia eadem pluries potest applicari in eodem Sacramento.
  - 37 Forma Sacramenti à pluribus prolata non efficit ejus validitatem.
  - 38 Illicitum mutare ritus Ecclesiae in Sacramentis.
  - 39 Illicitum ungere oleo Sancto infirmum à pluribus Sacerdotibus.
  - 40 Utrum dicta Unctio sit valida? Rationes pro negativa.
  - 41 Argumenta pro affirmativa, quae est verior.
  - 42 Unctiones successivae factae à pluribus ministris complent verum Sacramentum.
- S**ecunda disputatio, quam faciunt Scholastici circa Ministrum hujus Sacramenti Extreme Unctionis, & quam breviter referre promissimus in antecedenti Decif. IX. n. 1. est, An Extrema Unctio à pluribus Ministris uni, & eidem infirmo possit ministrari? Et respondendum videtur affirmativè ex sequentibus rationibus, exemplis, & auctoritatibus.
- Primò ex Verbis Divi Jacobi Apostoli. cap. 5. Vers. 14. *Infirmum quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* In quibus verbis non dixit Apostolus, inducat Presbyterum, sed Presbyteros in plurali. Ergo plures Sacerdotes possunt uni, & eidem infirmo simul ministrare hoc Sacramentum.
- Secundò, ex libro Sacramentorum S. Gregorii Papae sub titulo *Oratio ad visitandum infirmum*, ubi pag. mibi 232. col. 2. linea 30. habentur haec verba: *Dum ungitur infirmus, dicat unus ex Sacerdotibus hanc*

orationem. Inungo te de Oleo Sancto. Ergo supponit plures Ministros Sacerdotes pro ipsa Extrema Unctione infirmi adesse: quod expressè notat inferius, scilicet pag. 253. col. 2. linea 36. dicens: *Multi enim Sacerdotum infirmos perungunt insuper in quinque sensus corporis.* Igitur si multi, non unus solus Sacerdos, sed plures; & hoc idem advertit Hugo Menardus Monachus Congregationis S. Benedicti in Gallia in suis Notis, & Observationibus ad d. Librum Sacramentorum S. Gregorii Magni pag. 332. in princ. ita scribens: *Nota hic plures adesse Presbyteros in administratione hujus Sacramenti juxta Sanctum Jacobum, inducat Presbyteros Ecclesiae.*

Tertiò ex Constitutionibus Riculphi Episcopi Suesionis, quas refert idem Menardus, ubi supra pag. 335. & leguntur impressae post Opuscula ac Epistolae Hincmari Archiepiscopi Remensis pag. mibi 685. in quibus Constitutionibus praefatus Riculphus Anno Incarnationis Dominicæ 889. loquens de ministranda Extrema Unctione sic loquitur ad suum Clerum. X. Item oportet, ut Presbyteri infirmos suos post confessionem, & reconciliationem oleo Sancto perungant & tunc eos communicent. Suesiones sunt populi Galliae Belgicae, quorum Episcopalis Civitas appellatur *Augssta Suesionum*, vulgariter *Soissons*.

Quartò ex duobus aliis antiquis Codicibus, Tiliiano uno, altero Manuscripto Monasterii S. Remigii Remis in Gallia fundati; quos transcribit circa hoc Sacramentum Extreme Unctionis ipse Menardus; in quorum primo ita attestatur pag. 340. esse scriptum: *Imponant manus super infirmos omnes Sacerdotes &c. & paulò infra: Et sic perungant singuli Sacerdotes infirmum de oleo sanctificato.* In secundo autem ait pag. 351. ita legi: *Ungetur (infirmus) à Sacerdote, vel pluribus Sacerdotibus de oleo sanctificato, facientibus Cruces singulis in dextro tempore, & sinistro, non in fronte, neque in vertice, dicendo, Ungo caput tuum oleo sanctificato &c.* Et prosequitur referre formulas unctionum aliorum sensuum corporis infirmi. Ex quibus Codicibus, utique antiquissimis,prehenditur, consuetum fuisse in Gallia, ministrari hoc Sacramentum uni, & eidem infirmo à pluribus Sacerdotibus simul uno, & eodem tempore. Codicem, quem Menardus vocat Tiliianum, credendum est ita nominari, quia sit conscriptum Tyle, quae est Urbs parva Galliae in superiori Burgundia, & in Dicecesi Lingonensi, de qua Ferrarius in *Lexic. Geograph. verb. Tyle*.

Quintò, antequam à Gallia consuetudine vetusta ad alia argumenta procedamus, ex Caroli Magni Imperatoris exemplo, de quo Eparchius relatus ab Ivenio de *Sacram. Extrem. Unct. Dissert. VII. q. 6. cap. 3. conclus. 3.* & ex editione Pithae apud eundem Menardum pag. 334. ita habet: *Oleo autem Sancto inunctus ab Episcopis, & Viatico sumpto, & omnibus suis dispositis commendatus Domino Spiritum suum obiit in pace.* Ergo à pluribus Episcopis fuit Carolus Magno Imperatori ministratum Extremam Unctionis Sacramentum. Concordat exemplum Ludovici Lantgraviij Turingiae, Conjugis S. Elisabeth, ad quem in extremis constitutum, Oleo Sancto perungendum, cum Patriarcha Hierosolymitano vocatus fuisset, ipse Episcopum de Sancta Cruce coproperatore assumpsit; ut ex Theorico lib. 4. *vite praedictae S. Elisabeth* transcribit ipse Menardus ubi supra pag. 335. En duo ministri Extreme Unctionis ad eundem infirmum.

Sextò, à praxi Ecclesiae Orientalis; siquidem apud Graecos Sacramentum Extreme Unctionis administratur à septem Sacerdotibus simul ad hunc effectum convocatis & adunatis, ut constat ex eorum Euchologio, quod est Graecorum Rituale, in quo praeter orationes, & preces ad sacramenta administranda, & aliae etiam functiones Sacerdotales, & Episcopales continentur. Magrius in *Hierolexic. Verb. Eucharisticum*.

**C**hologium. Illius autem numeri septenarii reddit rationem Arcudius lib. 5. cap. 3. ita dicens: *Septem autem numero Presbyteros Graecorum Ecclesia exigit, sive propter septem peccata mortalia, sive quia septenarius numerus in Sacra Scriptura valde commendatur, & non caret mysterio, quia Jubilaeum in se complectitur.* Dicere etiam propter septem corporis partes quas ungitur. At ampliores mysticas significaciones notat Simeon Episcopus Theffalonicensis in opere de Sacramentis impresso apud Morinum in *Calce Commentar. de Sacram. Penitentiae*, his verbis: *Quod fieri arbitror propter septem dona Spiritus, quae apud Isaiam enumerantur: vel propter illos septem antiquae legis Sacerdotes, qui divino iussu circumcunctes urbem Hierico septies tubis cecinerunt, atque moenia diruerunt. Ut etiam hic septem Sacerdotes urbem, duraque moenia altitudinum peccati demoliantur. Vel etiam tanquam mortua exsurrectio anima, ut supra pernum illius Sanamitidis ad imitationem Propheetae, septies orent Sacerdotes, & eam suscitent, prout sane excitavit puerum Elisuius septies reversus, septies item precatus. Vel quemadmodum Elias septies orans Coelum, quod peccantibus clauerat, rursum aperuit, atque deduxit pluviam; sic isti septies deprecati solvunt quidem squalorem peccati; accepta vero gratiae clava, non secus atque Petrus, aperuit Coelum, atque misericordiam à Deo remissionis velut imbrem deducunt.* Et quod inter Graecos Sacramentum Extreme Unctionis ministratur uni, & eidem infirmo à septem Sacerdotibus simul ad hunc effectum congregatis non solum ex usu perveiuo, sed etiam in praesentem diem, scientibus, & non contradicentibus Pontificibus Romanis demonstrat doctus Pignatellus tom. 8. *consult. 84. à num. 25. & seqq.*

Septimò probari potest à paritate Sacramenti Eucharistiae, ac Sacrificij Missae, quod confici potest à pluribus Sacerdotibus eadem Hostiam, & eundem Calicem simul, & eodem tempore consecrantibus, ut antiquitus erat in usu etiam in Ecclesia Latina, quando Episcopus solemniter celebrabat, pluribus Sacerdotibus sibi adstantibus, & concelebrantibus; atque unà cum illo verba consecrationis proferentibus, de quibus latè agit Diana *Coordinatus tom. 3. tract. 1. resol. 48. §. 5. nec non tom. 4. tract. 8. resol. 9. §. 5. quae in veteri ejus opere sicut in p. 8. tract. 1. resol. 44. & in p. 12. tract. 1. resol. 91. & de sisdem Mystis concelebrantibus novissime differit Emin. Card. Bona *Rerum Liturgic. lib. 2. cap. 17. num. 4. & ego quoque mentionem feci in meis Decisionibus de Venerabili Eucharistiae Sacramento Decif. 9. num. 5. & quamvis antiquus sit usus eorumdem concelebrantium cum Episcopo solemniter sacrum faciente, imò etiam Cardinalium, qui simul cum Papa celebrabant, & consecrabant ad tradita per eundem Emin. Card. Bona ubi supra lib. 1. cap. 18. n. 9. & Magrius in *Hierolex. Verb. Cardinalis col. 6. pag. 126. nihilominus adhuc viget consuetudo consecrandi à pluribus simul Sacrosanctam Eucharistiam tum in ordinatione Sacerdotum, tum in collatione ordinis Episcopalis, in utroque enim casu & Neomythia, & qui noviter factus est Episcopus, proferunt verba consecrationis cum Pontifice ordinante, & simul cum illo conficiunt Sacramentum, ac Sacrificium, ut inter Scholasticos probant Gonet tom. 5. *disp. 2. num. 21. & 22. Matris in 4. sent. disp. 2. num. 59. & in sua Theolog. Morali disp. 18. num. 41. Emin. Card. de Lauræa in 4. sent. tom. 1. De Ministris Sacram. Euchar. disp. 24. art. 4. & alii, quos ego allegavi in d. Decisionibus de Venerab. Euchar. Sacram. Decif. 16. n. 2. & n. 17. Igitur sicut Sacramentum Eucharistiae licitè, & valide confici potest à pluribus Ministris simul, & eodem tempore formam proferentibus super eadem materia, ita Sacramentum Extreme Unctionis ministrari potest à pluribus Sacerdotibus uni, & eidem infirmo.****

**H**is tamen non obstantibus, in hac disputatione dicendum est, quòd (quidquid fuerit in usu antiquis temporibus de quibus infra opportunas reflexiones faciemus) in praesenti illicitum omnino est, à pluribus Ministris Extremam Unctionem uni, & eidem infirmo dare; ea ratione, quia in ministrandis Sacramentis non licet facere contra praxim Ecclesiae, neque discedere à Ritu, per eam praecipitur, videlicet, ut in dando Sacramento Extreme Unctionis unus tantum sit Sacerdos Minister; ut in Ritualis Rom. legitur, & qui operatur contra communem praxim, & ritum Ecclesiae, mortaliter peccat; ut statutum est in Concilio Tridentino sess. 7. de Sacramentis can. 13. & advertunt omnes DD. tam Scholastici, quam Morales, ut videre est apud Suarez in tom. 4. *disput. 43. sect. 2. num. 8. apud Eminent. Cardin. de Lauræa de Extr. Unct. disp. 11. num. 112. Matris in disp. 6. de eod. Sacram. num. 138. ubi ait, quòd ex obligatione praecipiti unicus debet esse Minister, qui totum hoc Sacramentum in unoquoque infirmo perficiat.* Ac idem docent Biffus in *Hierurg. Sacram. tom. 2. Verb. Minister Sacramentorum §. 32. Cotonius lib. 2. contro. 15. num. 51. Layman lib. 5. tractat. 8. cap. 6. in fine. Bonacina de Extr. Unct. disp. 7. quest. Unica punct. 4. num. 7. Reginaldus lib. 2. num. 62. citans ibi responsum Alexandri Papae III. in cap. *Questio. De Verbor. Signific.* ubi quòd solus unus Sacerdos cum uno clerico administrat Extremam Unctionem. Et (aliis DD. omnissis) Collegium Salmanticense in tom. de Sacramentis tract. 7. cap. 1. num. 6. excepta tamen urgenti necessitate, & quam praefati omnes Theologi in duobus tantum casibus ajunt, posse contingere. Uno, si Sacerdos post inceptas Unctiones vel moriatur, vel syncope decumbat, itaut reliquis perficere non possit; tunc enim alteri Sacerdoti licebit eas absque mora complere. Alio, si infirmus hoc Sacramento donandus sit adeò proximus morti, ut probabiliter sacerdos putet, omnes sensus ante ejus expirationem inungere non posse; nam etiam in hoc casu licitum foret admittere coadjutorem in unctione sensuum, ita tamen, ut quique inungens proprias formas proferat. Non desunt tamen DD. qui advertunt, in hoc secundo casu melius esse, ut unicus Sacerdos velociter ungat omnes sensus sub hac una forma: *Per istas Sanctas Unctiones, &c. Indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, seu locutionem, & tactum.* Ita Gobatus tract. 8. num. 877. & Diana *Coordinatus tom. 2. tract. 4. resol. 13. §. 5. nec non in eodem tractatu Resol. 21. & Resol. 22.* in quibus scribentes Theologos cumulat, qui concedunt in his duobus necessitatibus casibus licitum esse ministrare Extremam Unctionem uni, & eidem infirmo à pluribus Sacerdotibus. Concordat Barbosa de Parocho cap. 22. n. 8.*

Confirmant DD. hanc concessionem, & legitimitatem plurium Ministrorum, urgente necessitate, in Extrema Unctione, quia simile concessum est in Eucharistia, & Ordine; etenim in Sacramento Eucharistiae si Sacerdos, qui Hostiam consecravit, deficiat, itaut non possit vinum consecrare, potest alter Sacerdos Calicem dumtaxat consecrare, alia Hostia non consecrata; imò potest, dum unus Hostiam consecrat, validè alter Calicem consecrare, quo casu unum integrum Sacramentum Eucharistiae à duobus efficeretur. Et in Sacramento Ordinis, si Episcopus, qui Sacerdotem consecravit, deficiat, antequam eidem conferat potestatem remittendi peccata, potest, & debet alter Episcopus hujusmodi potestatem conferre, non repetendo quod Episcopus praecedens fecit, quia supponitur validè ab eo collatam fuisse potestatem in Corpus Christi verum. Idem igitur iudicium ferendum est in Sacramentis.

ramento Extremæ Unctionis, quando in prædictis duobus casibus necessitatis alter Sacerdos à primo facit unctionem proferendo suas formas, quas primus vel physicè, vel moraliter non potuit perficere; ut dicitur DD. supracitati, & in his terminis Martinus in cit. disp. 6. in 4. sent. De hoc Sacram. Extr. Unct. n. 133. ac etiam Emin. Card. de Lauræa d. disp. 11. de eodem Sacramento. n. 113.

14 Cæterum supradictis duobus necessitatis casibus exceptis, prorsus illicitum, ac peccaminosum est, Extremam Unctionem uni, & eidem infirmo à pluribus Sacerdotibus simul ministrari, non obstantibus, ut dixi, rationibus, fundamentis, & exemplis in contrarium adductis. Quandoquidem

15 Ad primum responderetur, quod verba Divi Jacobi Apostoli Inducat Presbyteros Ecclesie, etsi in plurali numero prolata, non sunt intelligenda de plurali numero Presbyterorum ministrantium hoc Sacramentum, sed de singulari; ita ut eorundem Verborum germanus sensus sit, inducat unum ex Presbyteris; prout quando dicimus, si Franciscus febrem habet, vocet Medicos, id est unum Medicorum, non plures Medicos, ut notat Reginaldus d. lib. 28. num. 62. Layman, Bonacina, & alii DD. supracitati; qui omnes observant, sæpe in Scriptura Sacra proferri numerum pluralem pro singulari ex doctrina

16 S. Augustini lib. 3. de consensu Evangelist. cap. 16. ubi id exemplificat, dicens: in Epistola ad Hebræos legitur pluraliter dictum, Claustrum ora Leonum; cum solus Daniel significari intelligatur. Et pluraliter dictum, Secti sunt: cum de solo Isaiâ tradatur. In Psalmis etiam quod dicitur: Assisterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum, de solo Herode, ac Pilato Christi mortem intulentes verbi scilicet. Et prosequitur declarare illud Matth. 27. 44. Idipsum autem, & Latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. Cum nihilominus unus tantum ex latronibus crucifixus blasphemaret Dominum, ut testatur S. Lucas cap. 23. Vers. 39. Unus autem de his, qui pendebant Latronibus, blasphemabat eum. Quod repetentes scribant omnes Moralitæ supra allegati pro responsione ad dicta verba Divi Jacobi.

Ad Secundum, Tertium, Quartum, & Quintum argumenta in contrarium adducta, de Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ, de Constitutionibus Richilphi Episcopi, de Codicibus Tiliiano, ac S. Remigii per Menardum allegatis, necnon de exemplis Caroli Magni Imperatoris, & Ludovici Langravii, plures dari possunt responsiones, ac resolutiones. Una est, quod S. Gregorius, & Riculphus ubi nominant in plurali numero Sacerdotes Ministros Extremæ Unctionis, non ita loquuntur, ut velint, plures simul debere hoc Sacramentum uni, & eidem infirmo ministrare; sed quia plures erant Sacerdotes, ad quos ex officio spectabat hoc Sacramentum distribuere infirmis, id est eos in plurali numero recensent, quia ad omnes loquebantur, & omnes monitos faciebant circa ritus, & alia concernentia Extremæ Unctionis administrationem à singulari eorum, cum occasio tulerit, piæ, ritæ, ac devotæ agendam. Secunda responsio est, quod ibi in plurali numero Sacerdotes describuntur, quia plures quidem pro unctione unus infirmis simul interveniebant, sed ad augendam devotionem ipsi infirmo, ac reverentiam eidem Sacramento, necnon ad multiplicandam vim orationum, quæ à pluribus Sacerdotibus simul congregatis recitabantur, non autem ad hoc ut plures ungerent Sacramentaliter sensus, & organa unius infirmo. Idcirco Carolus Magnus Imperator in unctus est Oleo Sancto ab Episcopo, id est adstantibus, & orantibus in ejus cubiculo pluribus Episcopis, uno tamen eorum tantum ungentem, & Sacramentum Extremæ Unctionis ministrante. Id clarè patet, quia subdit Historicus, ab Episcopo Viatico sumpto; unum

autem ex eis tantum porrexisse Sacrum Viaticum credere oportet, quia neque congruum, neque practicabile est, ut à pluribus manibus unica Sacra particula sit Imperatori ægotanti porrecta. Idcirco dicendum, & intelligendum est de Ludovico Langravii Extrema Unctione, ad quam ministrandam Patriarcha Hierosolymitanus assumptus in Coadjutorem Episcopum Sanctæ Crucis, non ut secum ungeret infirmum, sed ut secum recitaret piæ precæ, orationes, ac psalmos in illis antiquis Ritualibus descriptos. Confirmatur hæc responsio ex notatis per Surium in Vita S. Guilhelmi Archiepiscopi Bituricensis die 10. Januarii, de quo ægotante hæc scribit: Fratris convocatis, Extremæ Unctionis Sacramentum humiliter ac devotè suscepit; eo percepto, etiam Sanctoanctam Eucharistiam sibi porrigi instantissime postulavit. Et in Vita S. Malachie Episcopi Hyberniæ die 5. Novembris in extremo Vitæ constituti, de quo ita: Interca jubet se Sacro Oleo ungi. Exante conventu fratrum, ut solemniter feret, non sustinuit, ut ad se ascenderent: ipse descendit ad eos, jacebat squidem in Salario domi superiori. Ungitur, & sumpto viatico, fratrum se rationibus, & fratres commendavit Deo, ad seculum revertitur. Et convocantur Fratres, concurrunt Fratres pro administranda solemniter, id est summa cum reverentia, ac devotione, Unctione Extrema prædictis Jurisconsultis. Appellatione Fratrum Episcopi de jure intelligitur Canonici, teste Barbosa de Can. & Dignit. cap. 1. num. 47. proinde dum S. Guilhelmus & S. Malachias Antistites hoc Sacramento munitur in extremis, assistunt Fratres, scilicet Canonici, non tantquam Ministri, & ungentes, sed tantquam adstantes, & orantes in majus obsequium Sacramenti; idque videtur dicendum posse prædicari apud Græcos, dum septem Sacerdotes conveniunt in administratione hujus Sacramenti ad ferventiū orandum pro remissione culpæ infirmo, & pro uberiori gratia eidem à Deo obtinenda, juxta mysticas significationes septenarii numeri, quas faciunt Arcudius, & Episcopus Thessalonicensis supracitati.

Tertia responsio: Sed est, quod plures Sacerdotes simul eundem infirmum Oleo Sacro ungerent, ut censetur innuere illi duo Codices Tilianus, & Manuscriptus Monasterii S. Remigii apud Menardum; ac de Græcis dicitur Pignatellus d. tom. 8. consulti. 84. à num. 25. & sequ. investigandum venit, an omnes validè ungant, & quomodo omnes simul ungentes unum, & eundem infirmum faciant validè unum Sacramentum? Pro intelligentia hujus difficultatis suppositæ prætexo, sive Latine jam obsolete, sive Græcæ adhuc perdurantis, quatuor casus sunt distinguendi juxta Eminen. Card. de Lauræa in cit. disp. 11. de Extr. Unct. artic. 9. num. 104.

Primus casus est, quando ex pluribus Sacerdotibus ipsam Extremam Unctionem ministrantibus, alii ungent infirmum, & alii dicunt verba formæ in quacumque unctione. In hoc casu invalidè agunt, & invalidum remanet Sacramentum, ut testantur omnes DD. infra citandi. Primò, quia ait Apostolus Jac. 5. 15. orant super eum, ungentes eum oleo. Quæ verba denotant, unum, & eundem debere esse Ministrum, qui ungat infirmum, & formam proferat deprecativam. Secundò, quia ungentes non essent certi de intentione illorum, qui proferunt formam, & sic Sacramentum incongruè ministraretur, & remaneret expostum periculo nullitatis. Tertio, quia neque Baptismi Sacramentum, etsi majoris necessitatis potest à pluribus uni conferri, ita ut alii aquam infundant, alii verba formæ proferant, ut est communis Theologorum doctrina; cum enim Salvator dixerit Matth. ult. 20.

Bapti-

Baptizantes eos in nomine Patris &c. insinuavit, ab eodem, à quo fit ablutio, debere formam proferri. DD. quoque citat, & sequitur Volpi resol. 7. numer. 5. in fine. Quartò, quia Sacramenta, quæ consistunt in usu, habent pro materia proxima actionem ipsam Ministrum, quam materiam determinare debent verba ab ipsomet Ministrum prolata, ut ex utrisque unum constituat Sacramentum. Ergo quodlibet istorum Sacramentorum ex vi institutionis suæ necessariò postulat, ut ejusdem Ministri, & personæ sint actio, & verba; cumque Sacramentum Extremæ Unctionis consistat in usu, dari non potest unctio ab uno Ministro tamquam materia proxima; & proferri forma ab alio; sed utraque ab uno, & eodem Ministro debet provenire.

Neque obstat, quod in Sacramento Pœnitentiæ 25 Minister proferat solam formam, & penitens verò materiam; prout etiam in Sacramento Matrimonii. Nam responderetur, non esse eandem rationem de Sacramento Pœnitentiæ, & Extremæ Unctionis; quia Pœnitentiæ est Sacramentum judiciale; judicium autem exigit Judicem, & reum confessum, vel convictum; atque ideo confessio facta à reo, hoc est à penitente, est essentialiter necessaria ad Sacramentum Pœnitentiæ. Non sic est de Unctione, quam ipse Minister exhibet tamquam proximam materiam, & ab eodem debet etiam forma proferri. Quò verò ad Matrimonium, cum juxta magis communem Doctorum sententiam exhibitio corporum sit materia proxima, & ejusdem exhibitionis acceptatio sit forma Sacramenti; vel potius utriusque conjugis consensus sit ipsa proxima materia, & prædicta reciproca acceptatio reputetur forma; sequitur, ipsomet conjuges esse Ministros Sacramenti Matrimonii, & ab ipsidem proferatur materia proxima, & forma illius Sacramenti. Idcirco etiam ad validitatem Sacramenti Extremæ Unctionis materia proxima, quæ est unctio, & forma debet ab eodem Ministro provenire. Ita dixerunt, & docent Bonacina de Extr. Unct. d. disp. 7. quest. Unica punct. 4. num. 8. Salmanticensis d. tradit. 7. cap. 5. num. 6. in fine. Cætopal. punct. 7. num. 8. quem citat, & sequitur Biffus d. Verb. Minister Sacramentorum. §. 31. Suarez in 3. part. D. Thom. tom. 4. disp. 43. sect. 2. num. 3. Volpi resol. 78. numer. 12. Maltrius d. disp. 6. in 4. sent. quest. 7. numer. 131. & 132. & Eminen. Card. de Lauræa d. disp. 11. à num. 105. & sequ. qui omnes gravissimi quidem Theologi concludunt, impossibile esse, quod Sacramentum sit validum, si unus Sacerdos ungat sensum infirmo, alius verò Sacerdos formam illius unctionis proferat.

27 Sed quomodo respondebimus auctoritati libri Sacramentorum S. Gregorii Magni, qui (ut retulimus supra in secundo argumento contrario n. 2.) pag. 252. col. 2. linea 30. aperte docet, quod alius erat Sacerdos, qui ungebatur infirmum, & alius, qui formam pronuntiabat? ait enim ibidem: Dum ungitur infirmus, dicat unus ex Sacerdotibus hanc orationem: In ungo te Oleo Sancto in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, &c. Quæ quidem verba esse essentialia, & obtinere locum, & vim formæ ad constituendum Sacramentum opinatus est etiam ipse Menardus in suis notis super illa ad pag. 332. ubi ita scripserit reliquit: Notandum, ungentem Sacerdote, formam ab alio proferri; quod facit eorum opinionem, qui dicunt, validum esse Baptisum, si uno verba proferente, alter mergat, aut aquam infundat. Duplici responsione evitari posse puto hujus libri Sacramentorum S. Gregorii in prædictis verbis auctoritatem. Siquidem

28 Respondeo primò, non esse illicitum dubitare de legitimitate eorundem Verborum præcipientium, ut alter Sacerdos proferat verba formæ, dum alter ungit infirmum, & eadem potius esse suppositicia,

addita ab aliquo privato, quam vera, & inserta ab illo S. Pontifice. Ratio hujusmodi dubitationis est, quia Codex ille, super quo Menardus fecit suas notas, non erat liber originalis missus à Romano Pontifice S. Eligio, sed exemplar sumptum ab illo existente Noviomini in Monasterio S. Eligii, à quo nominationem talem accepit, ut testatur ipsemet Menardus in Prefatione pag. 2. subdens ibidem: Eique (exemplari) pauca quedam addita fuisse. Imò pag. 12. de eodem exemplari, seu transcripto ita scribit. Hunc etiam Codicem S. Eligii diligenter consulit cum edito Sacramentorum libro, qui tempore Clementis VIII. exiit ex Bibliotheca Vaticana: sed non minimum discrimen inter utrumque reperit, licet in multis conveniant. Unde sit, ut credam quidem illum Manuscriptum S. Eligii descriptum quidem fuisse ex alio antiquissimo Exemplari; sed quedam partem detracta fuisse, partem addita ab Exscriptore, prout videbat ille usui temporis sui convenire. Igitur non est à verisimili alienum affirmare, quod ille ritus in ministranda Extrema Unctione, ut unus ungat infirmum, alius proferat Verba formæ contra veram doctrinam, & præxim Ecclesiæ Romanæ in eodem libro exaratus, procefferit non à S. Gregorio Magno, sed ab exscriptore, qui ex originali libro aliam copiam fecit, & de suo capite sive ob simplicitatem, sive ob ignorantiam prædictum ritum in eadem copia, ac transcriptum inseruerit. Idem dicendum censeo de aliis Codicibus manuscriptis allegatis per eundem Menardum, in quibus ipse fatetur in sua Prefatione, plura ab eorum scriptoribus addita fuisse, quæ non reperiuntur in libro Sacramentorum S. Gregorii, & in specie de Codice Tiliiano ait pag. 9. Sunt tamen quedam in eo, quæ in ordine Romano non extant. Ut in ordine Romano quedam reperire est, quæ in hoc Codice Tiliiano desiderantur. Cum itaque hæc manuscripta deflectant ab originali libro Sacramentorum S. Gregorii in omissionibus, & additionibus, manifesta est libertas, quam sibi exscriptores usurparunt addendi, & omittendi ad proprium placitum, & ideo non est eis plena fides adhibenda, & in specie non est eis credendum, quod S. Gregorius Magnus scripserit, formam Sacramenti Extremæ Unctionis esse ab alio Sacerdote recitandam, dum ab alio ungitur infirmus Oleo Sancto.

Respondeo secundo prædicta verba libri Sacramentorum non obstat, est etiam inserta fuerint à S. Gregorio, quia loquuntur non de Unctione Sacramentali à Christo Domino instituta, sed de simplici Unctione curativa infirmitatis corporis, & ex sola devotione infirmi. Jam offensum est supra Decif. III. num. 5. & Decif. IX. num. 15. apud antiquos Christianos, & Sanctos Patres fuisse in usu duplex genus Unctionum: quorum unum erat solummodo sanativum corporis, aliud verò erat Sacramentum, & de primo innumera propemodum exempla leguntur apud Surium in gestis, & vitis Sanctorum. Igitur ritus, & sermo, quem facit liber Sacramentorum S. Gregorii Papæ apud Menardum, sub titulo Oratio ad visitandum infirmum pag. 251. & sequ. est intelligendus de simplici unctione ob sanitatem corporis, quæ non gentis ab hinc circiter annis erat in usu, & fiebat à pluribus Sacerdotibus simul convocatis; non autem de Unctione, quæ Sacramentum est, & quæ illis etiam antiquis temporibus ab uno tantum Presbytero, ungentem infirmum, & formam proferentem ministrabatur. Hanc meam secundam responsionem probò ex sequentibus. Primò ex prima Oratione illius Rubricæ, quæ loquitur de mera sanitate corporis ad exemplum Regis Ezechie; ait enim: Deus, qui famulo tuo Ezechie ter quinos annos ad vitam donasti, ita quesumus, ut famulum tuum N. à letho ægritudinis tua potentia erigas ad salutem. Ejusdem tenoris sunt alie

alia sex orationes subsequentes, in quibus sola sanitas corporalis illius infirmi à Deo postulatur. *Secundo*, quia ibidem statuitur, & præcipitur, quòd *Flectat genu, vel genua, qui est languidus, & stet ad dexteram Sacerdotis, & sic decantetur hæc Antiphona, &c.* Sacramentum Extremæ Unctionis non datur, nisi infirmis graviter ægrotantibus, & in extremo vitæ probabiliter constitutis; ut præcipiant plura Cœmœnica Concilia adducta ab Eminen. Cardin. de Lauræa de *Extr. Unct. disp. 11. numer. 166.* & præcipue Tridentinum de eodem *Sacram. sess. 14. cap. 3.* ita dicens: *Declaratur etiam esse hæc Unctionem infirmis adhibendam; illis vero præsertim, qui iam periculosè decumbunt, ut in exitu vite constituti videantur.* Quomodo ergo poterat languidus, gravissimo morbo correptus, & in exitu vitæ constitutus, de lecto exire, genua flectere, & genuflexus stare ad dexteram Sacerdotis, dum decantantur Antiphonæ, & Psalmi in ipso libro Sacramentorum, sub eadem Rubrica annotati, & præscripti? Propterea dicendum venit, quòd illa unctio non erat Sacramentum, sed erat curativa tantum ex sola devotione infirmi non gravi morbo laborantis, qui poterat à cubili surgere, genuflectere, & in genibus stare, audiendo Psalmos, & Orationes, quas Sacerdotes decantabant. *Terzio*, hæc mem. responsum confirmant Verba, quæ subsequuntur in eodem libro Sacramentorum *de Perungat infirmum de Oleo Sanctificato, cruce facta in collo, & gutture, & inter scapulas, & in pedibus, sed in loco (notet studiosus lector) ubi placet dolo imminet, amplius perungatur.* Quis inflictiabit huiusmodi Unctionem non fuisse Sacramentum; sed fuisse merè curativam, & ad solam corporis sanitatem obtinendam? Quis probabit, fuisse praxim Ecclesiæ Catholicæ in ministrando Sacramento Extremæ Unctionis perungere locum, ubi plus dolor imminet in corpore ægroti? Huiusmodi ritus est penitus extraneus ab universa praxi Ecclesiæ, quæ quicquid organa sensuum consecrat Sacramentaliter ungeret, non autem partes, in quibus plus dolor imminet. Quid si dolor fuisset in partibus non sine honestatis offensa tangendis? Idcirco fatari oportet, prædictum locum libri Sacramentorum S. Gregorii Magni, intelligendum prorsus esse de simplici unctioe curativa, non autem de Sacramento Extremæ Unctionis. *Quarto* considero verba assertæ formæ ab alio Sacerdote dicenda, quæ neque indicant, neque deprecantur remissionem culpæ, sed solam corporis sanitatem: Sunt enim illa: *Unctio te de Oleo Sancto in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut non lateat in te Spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in nulla compagine membrorum; sed in te habitet virtus Christi Altissimi, & Spiritus Sancti, quatenus per huius operationem nostram deprecationem, virtute Sanctæ Trinitatis medicatus, fides foris, pristinam, & immolioratam recipere merearis sanitatem. Per eundem, &c.* Quis quezto asseverabit, hæc verba constituere formam Sacramentalem Extremæ Unctionis? Forma uniuscuiusque Sacramenti debet significare effectus illius Sacramenti, ut latè probant omnes Theologi Scholastici, & Morales, inter quos *Mastrius in 4. sent. disp. 1. num. 96. & 97.* & in eius Theologia Morali *disp. 16. à num. 10. & seqq.* Eminent. Card. de Lauræa *De Sacramentis in genere disp. 2. art. 5. per totum.* Modò supradicta verba assertæ formæ libri Gregoriani in nihilo significant remissionem venialium, neque robur spirituale in anima infirmi ad pugnam contra insidias Dæmonum, quod operatur Sacramentum Extremæ Unctionis. Igitur neque in his verbis est vera forma, neque illæ unctio-

nes sunt Sacramentales, neque ex utriusque conficitur Sacramentum. *Quinto*: tandem reflecto ad sequentia verba posita post ultimam orationem *pag. 253. col. 2. linea 22.* videlicet: *Et sic faciant illi per septem dies, si necessitas fuerit, tam de communione, quàm de alio officio.* Quæ verba denotant, reiterandas esse ipsas Unctiones infirmi per septem dies, ut notat ipsemet Menardus in *Notis pag. 358. Vers. XIII.* At quo in Canone, quo in Concilio, qua in Constitutione Ecclesiastica reperitur, Sacramentum Extremæ Unctionis reiterandum esse eidem infirmo per septem successivos dies? Hanc reiterationem esse omnino prohibitam in eodem morbo obstantur omnes DD. quorum plurimos congerit Barboza de *Parochia dist. cap. 22. num. 38.* Igitur ex prædictis Unctiones infirmi in libro Sacramentorum S. Gregorii præscriptas non esse Sacramentales, sed merè curativas, ex sola devotione infirmi, vel ritum ibi positum, (scilicet quòd dum unus Sacerdos facit Unctiones, alius recitet formam) esse apocryfum, & ab heterodoxis insertum; siquidem Sacramentum esse validum non potest, si unus Sacerdos infirmum ungit, & alius formam enuntiet, ut firmatus est supra; & aliter asserere, est opinio erronea, ac penitus repellenda, ut ait Ivenius in *Commentar. Historico Dogmatico d. tom. 2. Dissert. 7. quæst. 6. cap. 3. Vers. Quæres num. singuli. pag. 798. col. 2.* & hæc de primo casu.

Sed adhuc dicit aliquis: Si Unctioes illæ non efficiant Sacramentum, sed erant tantum curativæ, quo iure sebant Oleo Sacro, & Sanctificatione, ut pluries nominant tum ipse liber Sacramentorum S. Gregorii, tum alii Codices antiqui transcripti, ubi supra per Menardum? Huic instantiæ respondet Ivenius *d. Dissert. 7. de Sacramen. Extremæ Unct. quæst. 6. cap. 1. in fine;* necnon Pignatellus, celeberrimus in Romana Curia Advocatus, in suis Consultationibus Canoniceis *d. tom. 8. consult. 84. num. 30.* quòd nostri Patres antiqui solebant distribuere Oleum Sacrum, etiam in medicinam corporalem; quòd cum in absum tenderet, fuit prohibitum in Concilio Moguntino sub Carolo Magno *can. 24.* his verbis: *Presbyteri sub sigillo custodiant Christum, & nulli sub pretexto medicina, vel maleficii donare indè presument. Quod si fecerint, honore priventur.* Et plura exempla prædicti usus medicinalis cum Oleo Sacro recenset Arcudius de *Extrem. Unctio. libr. 5. cap. 4.* & est celebre illud S. Gotardi Episcopi apud Surium *4. Maji*, ubi ait: *Iuste etiam Presbytero, ut Sacro Oleo, quòd infirmorum dicitur, ejus ungeret oculos, quæ quidem Unctio, & Sancti Viri preces ab illo dolore usque ad vite finem eam immunes conservaverunt.* Imò idem Pignatellus *num. 31.* subdit: quòd etiam nunc talis usus servatur apud Græcos, & *num. 32.* conatur probare, non esse illicitum, aut reprehensibile, quia, inquit, non est novum, quòd Olea Sacra interserviant pro materia Sacramentorum Confirmationis, & Extremæ Unctionis, ac etiam pro materia Sacramentalium; siquidem Sacrum Christina interservit ad unguendum verticem baptizati, ad consecranda altaria, calices, & alia huiusmodi, quapropter non excedit morealem possibilitatem, si Ecclesia non prohibente, imò tolerante, ac permittente etiam Oleum Sacrum infirmorum adhibeat, non tamquam Sacramentum, sed tamquam Sacramentale ad curandas infirmitates corporales, ut latè differet ipsemet Pignatellus *dist. consult. 84. à num. 32. usque in finem;* addens, posse adhiberi tamquam simplex Sacramentale, quamvis in Unctioe infirmi Sacerdos proferat formam adhiberi solitam in Sacramento, quia cum fit deprecativa, & consistat in oratione, hæc diversifica-

tur

tur ab intentione Ministri, itaut, quando intendit ungeri tantum ad curationem corporis, non faciat Sacramentum, sed Sacramentale; quæ doctrina optime adaptatur ritibus, orationibusque descriptis in eodem libro Sacramentorum Sancti Gregorii Magni, & Codicibus per Menardum relatis, de quibus supra; & intelligatur de unctioibus merè curativis, eos esse intentione de Sacramento Unctionis Extremæ. Hæc omnia de primo casu. Ita tamen, ut Lector advertat, quòd nunc si quis uteretur Oleo Sacro pro unctioe tantum curativa, contra illam procederet Sanctum Officium, ut ait Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 11. num. 97.*

Secundus casus suppositæ pluralitatis Ministrorum in Sacramento Extremæ Unctionis est, quando plures Sacerdotes simul congregati ad ministrandum hoc Sacramentum infirmo graviter ægrotanti, omnes simul unguunt idem organum infirmi, & omnes simul recitant formam ab Ecclesiæ præscriptam in illius organi, vel sensus unctioe. Casus ille mihi videtur metaphysicus, & impracticabilis; siquidem quomodo possunt tres, quinque, ac etiam septem Presbyteri simul, & eodem tempore ungeri unam, & eandem aurem unius infirmi? unum, & eundem oculum, eandem nares, ac labia? Opus esset, ut homines forent, vel gigantes, vel auriti, vel polycephali, de quibus egi in meis Decisionibus de *Baptismo Decif. 46. num. 7. & Decif. 47. num. 2. & 6.* ad hoc ut, ob magnitudinem organorum sensuum, hi reciperent unctioes à septem manibus simul, & eodem instanti. Nihilominus, nolui relationem huius casus omittere, tum quia ponitur ab Eminentiis. Cardin. de Lauræa *d. disp. 11. num. 111.* tum etiam quia Reverendissimus Pignatellus asseverat, apud Græcos in huius administratione Sacramenti, organa sensuum ægroti à septem Sacerdotibus simul, & eodem tempore Oleo Sancto ungi, *d. tom. 8. consult. 84. numer. 25.* est non me læcet, quòd Ecclesiæ Græca à Latina debet differre, non è contra, ut scribit idem Eminentiis. Cardin. de Lauræa *in 4. sent. d. tom. 3. disp. 1. num. 176.* Igitur supradicti Doctores concedant in hoc casu veri validè Sacramentum. Rationem huius validitatis triplicem assignat Pignatellus ubi supra. *Primum*, quia Innocentius IV. & Clemens VIII. correxerunt errores Græcorum in Sacramentorum ritibus, sed hunc ritum unguendi infirmum Oleo Sancto à septem Sacerdotibus simul non correxerunt, idcirco tacite approbarunt. *Secundum*, quia potest Ecclesiæ concedere, ut materia sufficiens, si semel applicetur in faciendo Sacramento, pluries possit applicari in ministrando uno, & eodem Sacramento, & habetur exemplum in Baptismo, in quo unica immersio in aqua sufficit, & tamen confessum est, ut etiam trina immersio fieri possit. Et hoc, quòd dicitur de materia, eò magis procedit de forma, quam à pluribus validè, & eodem tempore proferri, non destruit validitatem Sacramenti; ut, quando plures Sacerdotes simul consecrant unam, & eandem Hostiam, proferentes simul verba consecrationis, ut prædicatur in ordinatione Sacerdotum; & olim erat in usu, dum Papa solemniter celebrabat cum Cardinalibus, & Episcopis cum Canoniceis, ut mox diximus supra *num. 10.* Et eò facilius in hoc Sacramento Extremæ Unctionis, cuius forma est deprecativa, consensus in prece, & oratione, cuius proprium est, ut reiteretur à pluribus, & à pluribus proferatur per modum unius, ut cum in Ecclesiæ cantantur Litaniæ, quæ reiterantur de Versu in Versum, & in Solemni Sacrificio Missæ simul cum Sacerdote legente introitum, Kyrie, Gloria in Excelsis, Graduale, Offertorium, Sanctus, & postcommunionem, Chorus hæc omnia cantant, repetit, & nuntiat. Id-

circo quando septem Sacerdotes Græci ministrant simul Extremam Unctionem uni infirmo, proferentes omnes, & singuli eandem deprecativam formam; nihil officunt validitati Sacramenti, quia conjungitur in unam, & habetur pro una; orant enim tamquam consocii, & collegialiter, & sicut uniditate Orationi, & per consequens ipsi firmant. Unde ipsemet Pignatellus *d. tom. 8. consult. 84. numer. 27. in fine* concludit his verbis: *Nec repetitis Unctionis, & forme variat substantiam, quia quantum addit, non autem detrabit, & facit, quòd partes substantiales sint magis extense, & consent pluribus partibus integralibus consuetibus moraliter in unum, modo explicato, & idèd tota variatio est solam materialis, non autem formalis, aut essentialis.*

Non detrahit in præmissis quò ad validitatem Sacramenti Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 11. De Extrem. Unctioe num. 112. & 113.* At prolestantur, hunc casum in Ecclesiæ Latina esse prorsus illicitum, & si plures Sacerdotes Latini simul, & eodem tempore eundem infirmum ungerent Oleo Sacro, peccarent mortaliter; quia facerent contra ritum, & praxim Ecclesiæ, quæ vult, ac uno tantum Sacerdote uni infirmo hoc Sacramentum ministrari, & qui contrarium docerent, incidere in censuram, quam statuit Concilium Tridentinum *sess. 7. de Sacram. can. 13.* his verbis: *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ Ritus in solemnibus Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathematis.*

Tertius casus pluralitatis Ministrorum est, si plures Sacerdotes ita conveniant in danda Extrema Unctioe uni infirmo, ut unus unum organum ungat, alius eodem tempore ungat aliud, alter alterum, & quilibet suam recitet formam. In hoc casu esse illicitè agere manifestum est ex supradicto Canone Concilii Tridentini, & ex concordi sententia omnium DD. supracitatorum *num. 37.* & præcipue Suarezii *d. disp. 43. sect. 2. numer. 8.* *Mastrii in 4. sent. d. disp. 6. num. 138.* & Eminent. Card. de Lauræa *d. disp. 11. num. 114.* Porro an validè agant? & an verum conscientiam Sacramentum? validè dubitabile, & disputabile est in Scholis. Videtur dicendum, eos invalidè agere, ac Sacramentum non consecrere; ea ratione, quia hi plures Ministri diversa organa sensuum ungerent nihil faciunt. Quòd nihil faciunt, arguitur ex ea opinione Theologorum, quòd effectus Sacramenti Extremæ Unctionis habeatur tantummodò in ultima Unctioe, prout tenent DD. allegati à *Mastrio d. disp. 6. numer. 92.* ubi fundamentum talis opinionis ponitur, scilicet, quia nullum Sacramentum suum causat effectum, nisi quando essentialiter est completum; atqui Extrema Unctio non completur nisi in quinta Unctioe: Ergo Sacerdotes, qui præcedentes faciunt unctioes, nihil agunt. Item secundum aham opinionem Scholasticorum, quòd omnis Unctio producat statim suum partialem effectum Sacramenti, qui postea completur in ultima; adhuc hi plures Ministri nihil agunt, quia ad producendum dictum partialem effectum, & ad eum compleendum in ultima Unctioe necessaria est intentio Ministrum, quæ dirigat Unctioes præcedentes ad ultimam, itaut inter se tamquam partes Sacramenti sint moraliter unite ad constituendum in ultima unum Sacramentum. At talis intentio Unitatis non videtur possibilis in pluribus Ministris, qui omnes dirigunt suam intentionem ad proprias Unctioes. Ergo invalidè operantur. Ita arguendo differet *Mastrius d. disp. 6. num. 137.* & Eminent. Cardin. de Lauræa *d. disp. 11. n. 122. & 123.*

Nihilominus communis est responso Scholasticorum ad dictum casum, quòd validum remanet Sacra-

tur

Sacramentum, quia sive quælibet unctio producat statim suum effectum Sacramentalem, sive ex eis nullus habeatur effectus Sacramenti, nisi in ultima, omnes tamen Unctiones sunt partes Sacramenti, ipsum inchoantur per suam propriam materiam, & formam cum relatione ad ultimum completivum Sacramenti, & omnes simul factæ producunt complementum, & unitatem Sacramenti, cui non officit pluralitas Ministrorum exemplo Eucharistiæ, quam plures consecrant, vel simul, vel successivè, si Sacerdos moreretur ante consecrationem Calicis, post consecratam Hostiam, & exemplo Ordinis, si primo Episcopo deficiente post datam facultatem consecrandi, alius completeret Ordinem dando potestatem absolvendi: sufficit enim virtualis intentio horum plurium Ministrorum consociandi unicum Sacramentum; ut latissimè disputando comprobant Suarez d. disp. 43. sect. 2. à num. 4. & segg. Diana Coordinati tom. 2. tract. 4. resol. 21. & 22. in quibus DD. cumulat. Volpi d. resol. 78. num. 10. subdicens quod Ministrorum pluralitas non tollit unitatem Sacramenti, quia instrumentaliter tantum operantur; mutatio autem mallicorum non tollit unitatem operationis fabri. Matris d. disp. 6. à num. 133. usque ad num. 137. Eminent. Card. de Lauræa d. disp. 11. à num. 114. & à num. 125. novissimè prælaudatus Canonista Pignatellus in cit. tom. 2. consult. 84. numer. 26. & 27.

Quartus tandem casus, in quo disputatur de pluralitate Ministrorum in hoc Sacramento est, quando unus ungit unum organum, & recitet formam, deinde alius successivè ungit aliud organum recitando propriam pariter formam, & sic detribus, quatuor, vel pluribus ministris. In hoc casu, eos valde agere concedunt omnes Doctores ex rationibus supra allegatis; non autem licitè, nisi in illis duobus casibus necessitatibus, quos explicavimus supra, num. 12. videlicet si Sacerdos incepta ministratioe Olei Sancti moreretur, antequam omnes Unctiones perficeret, vel si manifestus esset transitus infirmi ad aliam vitam, & à pluribus Sacerdotibus celeri manu plura organa cum suis formis Oleo Sancto signarentur; quamvis magis laudabile foret, ut ab uno, & eodem Sacerdote omnes sensus velociter ungerentur sub unica forma eos omnes exprimente, ex Resol. 13. 21. & 22. Dianæ Coordinati in tom. 2. tract. 4. & ex monitione Gobati in Theol. Experim. tract. 8. num. 877.

DECISIO LXXI.

ARGUMENTUM.

Differitur de propriis Ministris Sacramenti Extreme Unctionis, videlicet de Episcopis erga omnes de eorum Diocesi. De prima Dignitate Ecclesiæ Cathedralis versus suum Episcopum. De Parochis erga suos Parochianos. Et de Regularibus tum Prælati respectu suorum subditorum, tum Deputatis ad Sacramenta ministranda degentibus in Monasterio; tum etiam de aliis Regularibus, qui vocati essent ad infirmis extra claustra. Disputatur celebris Quæstio, an Parochi tempore Pestis teneantur ungere infirmos Oleo Sancto cum propria vitæ periculo? Nec non quibus Laicis Regularibus possint dare Extremam Unctionem virtute suorum Privilegiorum?

SUMMARIUM.

- 1 Ministrorum Extreme Unctionis genera quinque.
- 2 Episcopus Parochus est Parochorum, & in sua Diocesi Sacramenta potest ministrare.
- 3 Episcopus dare potest Extremam Unctionem infirmis.

4. Imò aliquibus debet, num. 4. & 22.
- 4 Exempla infirmorum Oleo Sancto unctorum ab Episcopis.
- 5 Georgii Cornelii Senioris Episcopi Patavini charitas in dando Unctione Extrema infirmo de nobis, loco Parochi.
- 6 Capituli primæ Dignitati competit dare Extremam Unctionem Episcopo.
- 7 Sacrum Viaticum dare, atque Extremam Unctionem spectat ad eundem Ministrum.
- 8 Unctio Extrema olim dabatur prius, deinde Sacrum Viaticum.
- 9 Exempla Episcoporum extremè inuictorum à suis Canonici.
- 10 Parochiale officium est dare Extremam Unctionem, Sacrum Viaticum, & sepulturam.
- 11 Parochus tenetur dare Extremam Unctionem de iustitia, & sub pœna mortalis peccati sui Parochianis graviter ægrotantibus.
- 12 Parochiale onus laboriosissimum.
- 13 Pauli Segorvii libellus. II Parochi instruito, ad cuius instantiam prodit?
- 14 Parochi negligentis in Cura puniendi ab Episcopo.
- 15 Presbyter antiquitè denotabat Parochum.
- 16 Pestis tempore an Parochi tenentur ungere infirmos cum periculo vitæ? Rationes pro affirmativa n. 17. Pro negativa n. 18.
- 17 S. Congregat. Cardinales discordes circa Extremam Unctionem à Parochis dandam tempore Pestis, S. Caroli Borromeo requirentes.
- 20 Diffinitio circa obligationem ungerendi infirmos à Parochis tempore Pestis.
- 21 Extrema Unctio facit de atritu contritum.
- 22 Episcopus in defectu Parochi tenetur dare Extremam Unctionem.
- 23 Prælati Regulares an sint obligati dare Extremam Unctionem suis subditis?
- 24 Regulares dant Unctionem Extremam omnibus degentibus in Monasterio, Familiaribus, Hospitiis, atque Mercenariis.
- 25 Bibliophaeum nobilissimum Monasterii S. Justine de Padua.
- 26 Tertiaris, ac Tertiaria in quibus recipiant Extremam Unctionem.
- 27 Regulares Præsidentes Seminariis, aut Collegiis studiorum an dent Extremam Unctionem alumnis graviter ægrotantibus?
- 28 Regulares quando possint dare Extremam Unctionem in alienis Parochiis?

Tertia disputatio, quam circa Ministrum Sacramenti Extreme Unctionis faciunt Theologi, est, An quilibet Sacerdos licitè, & validè possit eam ægrotantibus ministrare? Reducitur autem hæc disputatio ad quinque genera personarum, videlicet ad Episcopos, ad Primam Dignitatem Capituli, ad Parochos, ad Regulares, & ad simplices Sacerdotes, etiam nominatim Excommunicatos, vel degradatos; de quibus omnibus breviter est videndum.

Quo ad Episcopum, extra omnem controversiam est, quod in tota sua Diocesi licitè, & validè ministrat omnia Sacramenta suis Diocesanis; est enim Parochus Parochorum, & Ordinarius in tota sua Diocesi, ad quem principaliter pertinet cura omnium animarum ejusdem sue Diocesis. cap. Quicumque. 10. qu. 1. cap. Præcipimus. 12. quest. 1. Angelus Verb. Confessio 3. §. 3. Pax Jordanus tom. 1. lib. 3. tit. 3. num. 1. & 2. ubi notat omnes Parochos in civitate, & Diocesi esse coadjutores Episcopi in cura animarum, & administratione Sacramentorum, ut deducitur ex cap. Inter cetera in fine, ubi Glossa, & DD. De offic. ordin. Et sicut Episcopus potest ubique in sua Diocesi audire Confessiones Sacramentalis,

tales, & ministrare Sacramentum Penitentiae, ut dixi De Penitentia Decif. 39. num. 3. multò magis potest dare Sacramentum Extreme Unctionis, quod dicitur Penitentiam consummativam. Idem Jordanus d. lib. 3. tit. 5. num. 1. & 2. & circa hoc punctum est decisio in terminis in c. Illud superfluum. dist. 95. ubi Innocentius Papa I. ita respondit: Illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco de Presbyteris dictum est; quia Episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Ceterum si Episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem à se visitandum, & benedicere, & ungerere Chrismate, sine cunctatione potest cujus est ipsum Chrismate, idest Oleo, quod notavi supra Decif. 1. numer. 2. docens rationem, quare oleum dicitur Chrisma.

Igitur Episcopus pro sui beneplacito potest Sacramentum Extreme Unctionis suis subditis ministrare, ut in terminis probat Ivenius in suo Commentar. Histor. & Dogmat. de Sacram. Extrem. Unct. Dissert. 7. quest. 6. cap. 2. ubi allegat exemplum Caroli Magni Imperatoris, qui ab Episcopo fuit Sacra Unctione inunctus, & Beatae Mauræ, quæ pariter Extremam Unctionem accepit à Prudentio Episcopo Tricasinio; nam in defectu Parochorum ipse Episcopus obligatus est de iustitia dare hoc Sacramentum, ut affirmat DD. citati infra numer. 22. Est autem notata dignum, quod advertit Pax Jordanus d. lib. 3. tit. 5. num. 9. videlicet, quod si aliquando Episcopus vel ob necessitatem, vel ob eminentiam infirmi, aut propter charitatem, vel alium respectum istud Sacramentum voluerit administrare, debet servare Ritum, & præcepta universaliter præscripta ministris illius in Rituali Romano; nihil enim particulariter præscribitur servandum ab eo diversum ab aliis Ministris. Et hic non est sub oblivione omitterendum eximie charitatis exemplum gloriose memoriæ Illustrissimi, ac Reverendissimi Georgii Cornelii Episcopi Patavini filii Serenissimi Ducis Reipublicæ Venetiarum Joannis Cornelii, qui anno 1650. cum esset in visitatione Terræ Montaneæ, hospitans, ac dormiens in domo Archiepiscopali, audivit media nocte nonnullos jaonam ejusdem domus pulsantes, cumque nullus responderet, furaxit et lecto pissimus Antistes, aperuit fenestram, & quæsit, quis esset? Hi, qui pulsabant, dixerunt, se postulare Archiepiscopum, ut prepararet ad dandam Extremam Unctionem cuidam egeno in sua Parochia morti proximo. Episcopus statim vocat unum de capellanis suis, & celeriter induit vestes, & accepto Sacro Oleo processit ad infirmum; (non enim aderat Archiepiscopus, qui relicti cubilibus suis pro commodo Prælati, ac familiarium ejus, iverat dormitum apud suos confanguineos.) Igitur Urbis Patavinæ Pastor consolatus languidum, & in conformitate Divinæ voluntatis confortatum Sacramento Unctionis Extreme munivit, & adstantibus pluribus vicinorum, qui audito Episcopi accessu convenerant, venerantes ejus pietatem, eò magis conspiciam, quò constantiorem in adfinita; non enim voluit Antistes descendere, nisi orto sole, & postquam Archiepiscopus accessit venerat usque ad exitum illius animæ remansurus. Hæc dicta sunt in obsequium prædicti celsissimi Episcopi, à cuius clementia ad minores, & sacros ordines promotus fuit, & cui eadem dignum me fecit, ut infervirem, post Doctoratus lauream acceptam, primum tamquam Promotor Fiscalis ejus Episcopalis Curie, deinde ut ejus Auditor in spirituali regimine totius Diocesis, & in examinandis Confessariis, multiplici cum munificentia, & benevolentia ipsius signo. Hæc de Episcopis.

Quò ad primam Dignitatem Capituli. Ad hæc

spestat tradere Extremam Unctionis Sacramentum Episcopo morienti, prout etiam Sacrum Viaticum; ut statutum est in Cæremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 38. Bauldry in Manuali Sacrament. Cæremon. part. 5. d. libr. 2. cap. 38. & Cathaldus in Præxi Cæremon. lib. 1. sect. 10. cap. 12. num. 3. Neque obstat, quòd liber Cæremoniale Episcoporum dist. cap. 38. nominet primam Dignitatem Capituli tantummodo in administratione Sacri Viatici: ibi: Tum majori, qua poterit, devotione, & humilitate, Sacrum sumat Viaticum; quod illi deferat prima Dignitas comitante Capitulo, & toto Clero Cathedralis Ecclesiæ in habitu Ecclesiastico, & cum candelis accensis. Quia dispositio loquens de uno ex his duobus Sacramentis, debet habere locum etiam in alio; siquidem etiam antiquissimis temporibus ad unum, & eundem Sacerdotem spectabat porrigere infirmo Sacrum Viaticum, & ministrare Extremam Unctionem; cum hoc solo discrimine, quòd antiquitus dabatur prius Extrema Unctio, & post illam Sacra Communio per modum Viatici; ac notat Menardus in libro Sacramentorum. Sancti Gregorii pag. 334. Vers. Deinde communicet eum Corpore, & Sanguine Domini. Ubi sic ait: Quod valde notandum est, quia olim ungebatur infirmus, antequam sumeret Viaticum Corporis, & Sanguinis Domini. Et allegat decretum Eusebii Papæ apud Burchardum lib. 18. cap. 11. & apud Ivenum lib. 15. cap. 35. quod erat hujusmodi: Sacerdos implet omnia sicut supra circa ægrotum penitentem scriptum est, idest, Orationes dicat, & ungit eum Oleo Sancto, & Eucharistiam ei donet. Igitur unus, & idem erit minister Unctionis Extreme, & Sacri Viatici antiquitus, & unus, ac idem esse debet nostris temporibus, qui Episcopo morienti exhibeat Sacrosanctam Eucharistiam, & impertiat Unctionis Extreme Sacramentum; nempe prima Dignitas de Capitulo Ecclesiæ Cathedralis.

Confirmatur exemplo S. Henrici Episcopi Lubecensis, de quo Arnoldus lib. 3. Histor. Slav. cap. 3. sic scribit: Confortatus in Domino, convocatis Fratribus (idest Canonici suæ Ecclesiæ Cathedralis, ut offensum est supra Decif. X. num. 21.) dicebat, se jam resolvi, & accipiens Sancti Olei Unctionem, (utique à prima Dignitate eorumdem Canoniorum) manus ipse porrigebat, pedes extendebat, cum psallentibus psallebat, sumptoque Viatico Domini Corporis dixit: O Rex glorie veni cum pace. Concordat id, quod de Sancto Guilelmo Archiepiscopo Bituricensi scribit Surius in ejus Vita die 10. Januarii; videlicet: Fratribus convocatis (idest Canonici) Extrema Unctionis Sacramentum humiliter, ac devotè suscepit. Et eo percepto etiam Sacrosanctam Eucharistiam sibi porrigi instantissime postulavit. His addere licet exemplum S. Caroli Borromei Archiepiscopi Mediolanensis, de cuius ultima infirmitate ita loquitur Jo. Petrus Justanus in ejus vita lib. 7. cap. 12. Il Padre Adorno avvisò incontanente il Cardinale, e le disse con molte lagrime, che era giunta l'ora sua di partirsi da questa vita, e che il Signore lo chiamava a sé, avvisandolo se voleva il Santissimo Viatico. Rispose, che lo dimandava istantemente, ed interrogato, chi lo doveva comunicare, disse, l'Arciprete del Duomo. Questi era Monsignor Giovanni Fontana ora Vescovo di Ferrara, che era all'ora Arciprete in questa Metropolitana. Et statim post acceptum Sacrum Viaticum dedit ei Sacramentum Extreme Unctionis, ut ibidem subdit idem Auctor, nam ad ministrandum hoc Sacramentum Episcopo morienti de Jure vacanda est prima Dignitas Ecclesiæ Cathedralis, ut dictum est supra.

Quò ad Parochum: certum est ad eum spectare ex 10 officio administratione hujus Sacramenti ægrotantibus graviter in sua Parochia; siquidem dare Extremam Unctionem infirmis est Jus Parochiale, prout est dare